



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. || Lv dovici || De Ponte Vallis-|| Oletani, È Societate ||
Jesv Theologi.|| De || Christiani hominis || Perfectione In
Qvo-|| libet eius Vitæ genere.|| Tomi Qvatvor.||**

Quorum argumenta ex S. Rvth Historia præcipué desumpta

Puente, Luis de la

Coloniæ Agrippinæ, 1625

§. 1. Quid sit agendum in calamitatibus Reipublicæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39637

§. II. Quid sit agendum in calamitatibus Reipublicæ.

PRÆDICTAS virtutes debent maiori studio exercere Principes & Gubernatores, cæteri que ciues tempore calamitatum, ac tribulationum, quæ suæ Reipublicæ eueniunt; quales sunt: pestis, fames, bella ciuilia, quæ vt plurimum terra motus, inundationes, incendia, & similes aliæ miserix, quæ vt plurimum veniunt in pœnam grauium peccatorum totius populi, & multò magis capitum, illum gubernantium. Nam vtrisque a impletur mensura illa, quam expectat Deus ad similia mala in Rempublicam mittenda, quemadmodum scriptura diuina insinuat, cum dicit: *b addidit furor Damini irasci contra Israel;* quia id promerebantur illorum peccata: ad quæ punienda, permisit (vt Sanctus Gregorius perpendit) etiam Regem ipsum *Dauid* peccare, numerando populum. Vt autem pœna etiam esset communis, sicut peccata communia erant, data est *Dauidi optio trium, vt eligeret vnum, quod voluisset, famem scilicet, pestem, aut bellum;* quarum calamitatum omnes sunt participes.

Ex quo apparet: *primum*, quod omnes magni & parui in Republica dare debeant operam, vt huiusmodi calamitatum causas & radices remoueant, faciendo *veram pœnitentiam*, vitamque in melius emendando: vt ipse Dominus mutet, aut moderetur seueritatem suæ iustitiæ: quemadmodum promisit *regno pœnitentiam agenti: agam* (inquit) *& ego pœnitentiam super malo, quod cogitasti, vt facerem ei.* Expedi autem, hanc pœnitentiam incipere ab ipsis Gubernatoribus, vt bono tuo exemplo ad eam inuident, quos malo prouocarunt ad peccandum. Id fecit *Rex Ninive*, cum in eam ingressus est *Jonas*, clamans: *d adhuc quadraginta dies, & Ninive subuertetur.* Nam cum primùm peruenit hoc verbum ad *Regem Ninive*, non est indignatus in eum *predicatore*, quòd talia illis esset minatus; nec iussit abire ex ciuitate, nec conijci in carcerem, quemadmodum *Rex Achab* iussit *Michaam*, & *Herodes magnus* *Baptistam*: sed statim surrexit de solio suo, & abiicit vestimentum suum a se, & indutus est sacco, & sedit in cinere, & clamauit, & dixit in *Ninive* ex ore *Regis, & Principum eius*, vt omnes agerent pœnitentiam, sicut re ipsa egerunt a maiori vsque ad minorem: quia vnusquisque existimabat, ob sua peccata talem calamitatem toti ciuitati imminere; quam pœnitentia etiam propria studebat auertere. Hunc igitur in modum oportet in similibus occasionibus, DEI iram pœnitentia placare, ieiunijs, flagellationibus, cilicijs, alijsque operibus, quæ sunt pœnitentiæ fructus, in quibus Principes ipsi: & Gubernatores, primi esse debent.

Pœna peccati.

a Mat. 23. 32

b 2. Reg. 24.

f.

Lib. 25. mor. cap. 14.

pœnitentiam agant omnes.

c Iere. 18. 8.

Duces exemplo præcant.

d Iona. 3. 4.

e 3. Reg. 22.

27.

f Mar. 6. 17.

c. Ios. 7. 12.

Quisque se
emendat.2. Reg. 24.
7.Fasciculus
virtutum.

Tract. 2. c. 7.

C. 3.
Tom. 1. tra. 3.Deur. p. r.
mala opera
sunt bona.L. 1. de ci-
uit. c. 10.

33

33

33

1. Tim. 6.

6.

Lib. 5. c. 15.

C. 1.

33

h. Met. 6. 1. 6.

Gentibus

terra nobis

culum.

33

33

Lib. 22. c. 3.

33

33

constituentes, vt prædicatores, ad agendam, omnes exhortentur. Et vnusquisque etiam ex plebe contendere debet, in eisdem operibus excellere; cogitans se fortè esse e *Achan* illum, ob cuius peccatum totum Deus puniat populum: & si *fortes* essent mittendæ, quemadmodum *Iosue*, ex Dei iussu misit, vt reum deprehenderet, caderet super ipsum, tanquam super maximum peccatorem. Sed ipsi *Principes* & *Gubernatores* debent potius suis, quàm aliorum peccatis id tribuere, dicentes cum *Dauid*: *ego sum qui peccavi, ego inique egi: isti qui omnes sunt, quid fecerunt: vertatur, obsecro, manus tua contra me, & contra domum patris mei, ne totus populus pereat.* Quæ penitentia ratio, si verè & ex corde fiat, dignabitur Deus, calamitatem publicam remouere, quod fecit in *Ninive*; & in *Israël* in prædictis occasionibus.

Quod si ex oculis suis iudicijs, Deus adhuc voluerit, calamitates, & tribulationes diutius durare: tunc necesse erit prædictas virtutes, maiori cum feruore coniungere, exstimulando *resignationem*, & *fiduciam*, *orationem*, & *fortitudinem* cum *patientia*, *longanimitate*, & *perseuerantia* ad fructus colligendos: quos prouidentia diuina per huiusmodi aduersitates intendit: (vt supra est dictum) persuadentes sibi, certam esse illam veritatem, quam *Sanctus Augustinus* fusè probauit in libris de *Ciuitate Dei*: quod scilicet *felicitas* *Reipublica Christiana*, quæ vera est ciuitas *DEI* vni, non sita sit in temporalibus prosperitatibus, sed in *spiritualibus*; non in bonis perituris, sed *æternis*. Et quando Rex Regum permittit *Reipublicam* suam huiusmodi temporalibus miserijs affligi: id propterea facit, quod hac via velit *admiranda virtutibus* eam exornare, ac ditare, & copiosissimis *æternis premiis* remunerare: amiserunt (inquit *Sanctus Augustinus*) *omnia*, quæ habebant: Nunquid *fidem*? nunquid *pietatem*? nunquid *interioris hominis bona*, quæ est ante *DEUM* diues? hæ sunt opes *Christianorum*, quibus opulentus dicebat *Apostolus*: *gest autem questus magna; pietas cum sufficientia.* *Gentilium* *Reipublicæ*, cui nõ erat Deus daturus vitæ æternæ cū sanctis suis *Angelis* in ciuitate sua cælesti, hanc *terrenam gloriam* eis concedit: quam tantopere desiderant, & pro qua laborant, quemadmodum remunerauit *Romanos*, de quibus dicere licet: *h. receperunt mercedem suam: merces autem sanctorum* longe alia est, etiam hic opprobria sustinentium cum magna patientia & fortitudine: quia expectant *ciuitatem* aliam cælestem, & sempiternam: vbi est vera & plena felicitas. Ibi non oritur sol super bonos & malos; sed sol *institia* solos protegit bonos, vera ibi gloria erit, vbi ore laudantis, nec errore quisquam, nec adulatione laudabitur. Verus honor, qui nulli negabitur digno, nulli deferetur indigno: Sed nec ad eum ambiet

vllus

Nullus indignus, vbi nullus permittetur esse nisi dignus. Vera pax ibi est, vbi nihil aduersi, nec à seipso, nec ab alio quisquam patietur.

PRÆMIUM virtutis erit ipse, qui virtutem dedit; ei que se ipsum, quo melius & maius nihil possit esse, promisit. Quid est enim aliud quod per Prophetam dixit: *Ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi plebs*: nisi ego ero vnde laudentur: ego ero quæcunque ab hominibus honestè desiderantur, & vita, & salus, & victus, & copia, & gloria, & honor, & pax & omnia bona? sic enim & illud rectè intelligitur quod ait Apostolus, *visitatus est Deus omnia in omnibus*. Ipse finis erit desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur, hæc omnia Sanctus Augustinus. Vt intelligant Principes, & Reipub. Christianæ Cives ipsorum diuitias ac thesauros in hac vita esse debere *virtutes*: prosperitatem verò & felicitatem *opera bona*. Et si DEVS huiusmodi calamitates temporales permittit, id facit, vt *merita* eorum crescant, & *virtutes* perficiantur, vt *fidelitas* probetur & *oratio* magis ferueat, & *fiducia* sublimior fiat, *patientia* exerceatur, & *perseuerantia* sit gloriolior, æternæque gloriæ *premiu* copiosius.

CAPVT XV.

REGVLA QVÆDAM VALDE PERFECTE
vincendi in quolibet statu & officio ex precedentibus
Tractatibus collecta

X omnibus, quæ in quatuor his Tractatibus dicta sunt quasdam regulas siue documenta hic colligemus bene viuendi, aut vitam cum magna perfectione instituendi, quæ communia erunt omnibus Christianis, in quocunque statu & officio constitutis. Particularia verò ad coniugatos, Ecclesiasticos, & Religiosos spectantia reiciemus in proprios Tractatus. Adnotabimus hic in margine Tractatus & capita, in quibus continentur fufius, quæ in singulis hoc documentis summam ponuntur.

PRIMUM igitur præcipuus studiorum ac votorum tuorum finis in hac vita debet esse *sanctitas*: quæ procuranda est per ordinaria me-

Documenta
communia
perfectionis.

1.
Fini sanctitas per